ORATIO
DE
GEORGIO II
DEFENSORE FIDEI AMABILI
HABITA

IN

ANNIVERSARIIS SACRIS

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE


A. D. XVII SEPT. A. CIƆIƆCCXXXXIII

AB ILLIVS TVM

PRORECTORE

IO. MATTHIA GESNERO





GOTTINGAE,

TYPIS A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
VENERANDI PATRES
HOSPITES HONORANDI
TVQVE VOLVPTAS ET CVRA NOSTRA VNICA
GENEROSISSIMORVM NOBILISSIMORVMQVE
IVVENVM AMABILIS CONCIO.

Nonus iam annus exit, ex quo nondum nos quidem in hac aede, quae tum maiore parte sui armamentarium erat, atque horreum, non in adiunctis illi auditoriis, quae tum nondum erant perfecta, conueniebamus; in hanc tamen vrbem colligi coepimus noui coloni, noui ciues literariae vniuersitatis. Sex ipsi hodie anni sunt, quod collecta & condita triennio illo primo Academia primum in lucem quasi solenni pompa prodiit, & splendide nata est.

Innumerabilia per hosce annos diuinae in nos prouidentiae, beneficentiae regiae, paternae Maecenatis nostri indulgentiae, specimina exstitere. Natalem tamen nondum celebrauimus, qui tantam gratulandi materiem nobis praebuerit, qui ita valide Musas excitarit nostras ad hoc agendum, quod tum ante aliquan-

do, tum inter ipſa inauguralia ſacra, illarum ego ſacerdos atque interpres promittere memini.

Nihil quidem ad ſolam praedicationem hominum refert GEORGIVS II Rex ac Pater noſter Auguſtiſſimus, cui ſuus animus, ſua conſcientia, amplum ſatis theatrum eſt, & omnibus Olympiae celebritatibus, triumphis omnibus ſplendidius. Sed noſtrum tamen eſt officii noſtri meminiſſe, & hoc ipſo obeundo publicae quoque rei ſeruire.

Muſas Iouis filias faciunt poëtae, & primum illis opus aſſignant, vt patrem ſuum ſuorum carminum ſuauitate celebrent. Georgia Auguſta hoc ipſo ſuo nomine patrem ſuum praefert. Hunc laudare, hunc feſtis celebrare vocibus, officium illius & felicitas eſt.

Nihil non laudandum cogitat, inſtituit, efficit GEORGIVS; ſed neſcio quo modo hoc bellicae res habent peculiare, vti ſplendidiorem, pleniorem, & magis aures animosque hominum explentem laudibus materiem praebeant. Eſt nempe hoc, AA., in ipſis naturae noſtrae rationibus fundatum, vt quae res ſenſus noſtros feriunt & vehementer commouent, illae etiam ad commemorandum laudandumque plenius aliquid habeant & ſonantius: cum virtus alia, & quae animo tantum cernuntur, afficiant illa quidem eos, qui phi-

losophando, mortem meditati, mentem seuocare a corpore & sensibus, longo vsu didicere; reliquorum autem & sensum & intelligentiam praeteruehantur.

Quae cum ita sint, AA., eo maiore fiducia hodie illud suggestum conscendi, quod Academiae huic, hoc natali die suo, gratulari non modo possum saluum & incolumem Patrem suum, & Rectorem Magnificentissimum; sed gratulari possum Patrem suum Defensorem fidei magnanimum, Patrem atque Imperatorem exercitus, quo nullus vel praestantior fuit exercitus, vel meliorem causam defendit, felicem, triumphatorem adhuc in praelio; & si causae bonitas, si virtus, si sapientia praestat victoriam, si Deus amat Germaniam & Europam, belli etiam totius triumphatorem.

Quid ergo natali die suo potius agat Academia tua, GEORGI Pater indulgentissime, quam vt sibi te Patrem suum, te, Pater, saeculo gratuletur, vti laudet GEORGIVM II *defensorem fidei amabilem.*

Non hoc quidem agemus AA., mercedem vti persoluamus optimo Principi, quod ridiculum pene consilium fuerit; cum ille non a paucis & obscuris quibusdam, sui praeterea beneficii hominibus, sed a consentiente omnium, quae post nos erunt, saeculorum

dicatione, animi illius vere regii, & ſuſceptae fortiter adeo pro fide propugnationis praemia ſit reportaturus: ſed ita defenſorem fidei laudabimus, vt ſtudeamus hanc iuuentutem propoſitis GEORGII laudibus ad amandum talem tantumque principem incitare, hoc eſt bonos ciues reddere.

In hoc enim profecto boni ciuis numeros aliquis impleat facillime, illum ſi principem vere amet, illi placere in omni actu vitae ſtudeat, qui ſit noſtri GEORGII quam ſimillimus.

Conabimur ipſius, quae GEORGIVM ita amabilem reddit, virtutis amore inflammare hos ciues nunc noſtros, in hoc velut ſeminario reip. laeta incrementa capientes, mox publicae felicitatis, imple omen Deus! adminiſtros.

Nempe id ipſum quoque in muneribus, quibus immortaliter de patria tua mereris, GEORGI, Pater Patriae, numerabitur, ſi tuae virtutis laudibus ad illius imitationem, & perſequenda velut veſtigia tua, excitari ſe generoſi ſanguinis ac pectoris adoleſcentes patiantur.

Feliciſſimum equidem hunc diem, meque ipſum haud mediocriter fortunatum iudicabo, ſi quid illius propoſiti hac oratione conſequi mihi contingat; ſi

GE-

GEORGIVM II *Defensorem fidei amabilem* ita possim vobis AA. effingere, vt illa imago animis insinuata atque impressa vestris, vos quoque non admiratores modo GEORGII, (tales enim etiam hostes sunt & inuiti) faciat; sed pro suis quemque rationibus fidei ipsos quoque defensores.

Verum altius paullo exordiendum est.

Finem bonorum, quae petuntur ab illa imperantium & parentium, ab illa hominum legibus & iure inter se deuinctorum, quos ciues appellamus, societate, summum igitur vnius cuiusque ciuitatis bonum esse pacem, satis constat: pacem, inquam, hoc est otium cum dignitate, quietam rerum facultatumque suarum omnium possessionem, & vsum a nemine turbandum, vti & suo arbitratu suis quisque bonis frui, & ius suum consequi, & locum, atque omnem dignitatem suam in re publica tueri possit. Quod quale sit & quantum bonum, tum demum intelligitur, cum vel externus hostis turbare, agere, ferre, vrere, vastare coepit omnia; vel ciuilis discordia, abruptis legum vinculis, conculcata imperantium aut magistratus auctoritate, summa imis miscet.

Cogitemus, AA., quoniam libera mens est, & imagines ipsa sibi quas vult potest effingere; cogitemus igi-

igitur conditionem rerum eam, vbi ad vim & arma ventum ſit vel inter ciues, vel inter vicinos populos, vbi culta noſtro ſtudio praedia occupent, diripiant, vaſtent, hoſtes; domus noſtras, cum his, quae longa induſtria dominorum congeſta ſunt, diruant, flammis exurant; bibliothecas, theſauros omnis generis, ſupellectilem, quod cuique cariſſimum eſt, diſiiciant, corrumpant, auferant; caput & vitam petant denique, & fame, vulneribus, varioque cruciatu vexent, & aut in miſeram ſeruitutem homines abripiant, aut plane ipſa vita crudeliſſime priuent. Obſeſſae vrbis miſerias cogitemus, & quae de Hieroſolymis audimus quotannis, nuper de Praga legimus, ita referamus ad animum noſtrum, vt iis nos velut interſeramus medios, & quid nobis animi futurum ſit, ſi eum in locum adducantur res noſtrae, reputemus. Tum ſubito reſtitutam ex tantis malis pacem, velut ex maxima procella, & naufragii praeſentis metu ſerenitatem, animis proponamus. Sic fortaſſe rectius aureae pacis pretium intelligemus, ſic laudabimus eam ſapientiam, ſiue diuina ipſa fuerit, ſiue a Deo conceſſa hominibus, quae collectis in ciuitates hominibus pacem ſuaſit, & vnitis voluntatibus communem felicitatem procurare.

Iam vero, vt ſunt hodie res hominum, fundamenta firmamentaque pacis ſunt federa. Non

Non hic locus eſt, AA., de vafri hominis, Thomae Hobbeſii ſententia diſputare, & quaerere, vtrum naturalis hominum conditio ſit bellum, quo omnes ab omnibus oppugnentur, repugnent omnes omnibus? quod qui affirmant, multum proh dolor! praeſidii ornandae ſententiae ſuae in hiſtoria omnis aeui, in his quae videmus, audimus, legimus quotidie; inueniunt. Illud norunt, qui attendere animum rebus, quae geruntur, voluere, quae hodie pacem inter ſe obſeruant gentes vicinae, (earum enim, quae longis terrarum mariumue ſpatiis diuiſae ſunt, migrationes, & orientia inde bella, obſoleuiſſe iam videntur) eas foedere quodam inter ſe & pactionibus contineri: eorumque federum non illam modo vim eſſe, vt neuter populus alteri noceat, ſed vt nemo alius temere eum laedere populum auſit, qui federe ſibi adiunctum habeat alium, aut plures adeo, quorum viribus ad ſuas opes adiunctis repellere quoscunque inſultus atque impetus poſſit.

Quod ergo ſingulis hominibus praeſtat ciuitas, vt, ſingulorum vel paucorum ab iniuriis tuti, ius ac dignitatem retinere ſuam poſſint, illud federibus debent populi, quorum beneficio in maiorem veluti ciuitatem coaliti, nullam vim, iniuriam nullam coniuratorum etiam hoſtium extimeſcant.

Sed quid ciuitas, quid fedus, ſine fide? id eſt, ſine conſtantia agendi, praeſtandi, quod acturum praeſtiturum te receperis. Ecquis enim quamcunque rem privatam aut publicam contrahat cum eo, a quo fidem ſibi non iri praeſtitum ſciat? quis ciuis eſſe ciuitatis eius optet, in qua nemo ſe fidei obligatum obſtrictumque putet vinculis? quis fedus cum illo facere populo, a quo ſperni, ſi ita expediat, federum religionem conſtet?

Neque eſt, quod quis nobis obuertat, nihil eſſe hoc ſaeculo, quin nihil fuiſſe omnibus ſaeculis perfidia & priuata & publica ſolennius; plenam eſſe hiſtoriam omnem, plenam vniuscuiusque noſtrum memoriam, ruptae vel priuatorum ſcelere vel principum leuitate fidei: neque tamen deeſſe hodie, qui res contrahant, qui feriant federa. Scilicet ita perfidias illas memorant rerum geſtarum conditores, vti ipſam perfidorum memoriam dehoneſtent, impiisque illorum Manibus velut ſanguineas notas,& ſtigmata nunquam delenda inurant; ita memoriae, vel oculis adeo noſtris obuerſantur perfidi, vti ſacros ac deteſtabiles ſentiamus illos eſſe, vt vltra Indos & Garamantas velimus relegatos, vt caueamus nobis quantum poſſumus, ne, qui ſemel fefellit, cum eo quidquam ſeriae rei in poſterum contrahamus.

Quod

Quod autem licet ſemel iterumque decepti, tamen vel priuatarum rerum vel publicarum conuentiones faciunt homines, illud indicat, ſupereſſe tamen in maiore generis noſtri parte fidem, audere neminem dicere, ſe perfidum eſſe, niſi forte comicum lenonem, aut ſimili ex genere hominem; ſperare bonos viros, eos quibuscum ſibi negotium ſit, ſui fore ſimiles; ſi quis ſit fedifragus vel populus vel princeps, eorum ſperari poſteros vel ſucceſſores meliores, eorum federibus firmamenta quaeri etiam alia.

Quidquid denique eſt, quod de perfidia vel priuatorum hominum vel publica dici poteſt, illud omne potius, quam foeda, quam perniciosa ipſa ſit, demonſtrat, quam vt de pretio inaeſtimabili virtutis, quam laedit perfidia, detrahere quidquam vel imminuere poſſit.

Quin quo plures ſunt perfidi, quo plus per illos damni & moleſtiae rebus noſtris infertur, quo difficilior illorum ſcelere vita eſt; tanto maioris faciamus Fidem, rem vnam ſanctiſſimam, ſummi illam in ciuitate boni effectricem, in Capitolio a Romanis iuxta Iouem collocatam merito, & colendam religioſe inter cetera numina propoſitam.

Hanc colere ſemper bonum eſt, ſemper vtile, ſi, quid

quid bonum, quid vtile ſit, non pondere aeruginis, non iugeribus luti, non veſica metiamur, ſed aequiſſima honeſtatis, quae veram ſemper vtilitatem ſibi adiunctam habet, lance aeſtimemus.

Ac priuatam quidem fidem qui verbis eleuet, qui rideat religioſe eam ſeruantes, qui perfidiam priuatorum prudentiam interpretetur, neſcio an temere inueniamus: certe an ſerio profiteri quisquam ſanus in tali ſecta nomen ſuum audeat, vehementer etiam atque etiam dubito. Ne lenones quidem & latrones, & ſi quid his poteſt eſſe turpius, excipiendos eſſe arbitror.

Quî fit igitur, AA., vti paſſim audiantur legantur eorum voces, qui fidem numerare in principnm & regum, ſiue qui alii rerum publicarum gubernacula tenent, virtutibus detrectant? qui neſcio quam deam Lauernam comminiſcuntur, Rationem ſtatus vocant, per quam liceat regibus, quod nemo bonus vir ſibi licere putat, mentiri, peierare, fallere. Horribile profecto & exſecrandum monſtrum illa Ratio ſtatus, magiſtra illa improba, quae mendacia & periuria his perſuadeat, quorum pectus Fidei ſacrarium, quorum os oraculum nunquam fallax, quorum dextra Fidei ara eſſe debebat.

Si diligenter exquiras, quid tandem rei ſit illacelebrata

brata tantopere, & ſancti numinis inſtar culta Status ratio; illud denique inuenies. Ratio ſtatus eſt (ſi Latine loqui vellent, aut poſſent, dicerent, e re publica eſt, cum ſalute rei publicae coniunctum eſt) ne imminuantur, contrahantur, retroue agantur fines regni, ſed potius augeantur quantum poteſt, quacunque arte poteſt, ac protendantur. Qua in re ita inſaniri videas, vt non iurata tantum fides violetur, de quo maxime hic agimus, ſed flore ciuium, certe robuſtiſſima parte ſobolis, priuetur totum regnum, ea cauſſa, vt ſpatium agri adiiciatur, vaſtandum ipſum quoque, & ante exhauriendum incolis, quam in poteſtatem noui domini tranſeat.

Dici non poteſt, quanta ea in re verſetur inſania. Tibi enim inter innumera beneficia, GEORGI, Pater indulgentiſſime, hoc debemus non poſtremum, quod licet tuo ſub imperio viuentibus ſuis rem vnam quamque nominibus deſignare! Inſania profecto eſt & verus furor, in quem perfidi iſti a ſuis magiſtris, non refutatione ſed exilio dignis, impelluntur. Fidem, federa, iuris iurandi religionem violare licet, infinitos numero homines, hinc ſuos ciues, hinc alienos, in rapinas, vulnera, caedes, dare licet, vt augeatur ditio vnius alicuius mortalis, qui hoc debet ſuis ciuibus, vt publi-

cam tranquillitatem tuendo vim & iniurias ab illis defendat, felices beatosque omnes reddat: ſed qui agat nihil aliud, quam vt pluribus imperet, futuris ſua opera egregia infelicioribus.

Paſtores populorum eſſe reges, inter omnes non poëtas modo conuenit, ſed veram illam imaginem eſſe, quae conditionem regum recte declaret, nemo dubitat. Iam ſi quis paſtor non hoc agat, vt quantus cunque ſuus grex eſt, illum in ſana ducat paſcua, abundantia pabuli & ſalubritate fecunditatem illius procuret, canibus illum a luporum graſſatione & latrunculorum inſidiis defendat; ſed illud agat vnum, ſua vti paſcua extendat, limites terminosque moueat, ac pace vicinorum abrupta, ingentem canum multitudinem primo ouium ſuarum carne paſcat, tum iis canibus vicinas oues pariter ac ſuas laceret, has praeterea conficiendas vicinorum canibus praebeat?

Fallor? an haec veriſſima imago fuerit eius regis, ſi quis illam Status rationem, illam falſi nominis vtilitatem publicam, quae peſtis potius & pernicies publica debebat appellari, a perfidis ſibi hominibus, & religionis omnis expertibus, commendatam adamarit, fidem inter vana nomina ponat, reges federibus ludere vt pueros aſtragalis, vel dicat, vel ita ſe putare, rebus manifeſtis declaret. Quam-

Quamquam ipſos populorum rectores non tam accuſandos putamus, quos vel mollities ſua, educatorum vitio, aut ſcelere ſodalium contracta, ab omni cura rei publicae ad voluptates ſolas conuertit; vel falſa quaedam, & prope dicam, puerilis gloriae imago infatuauit, & vertigine quadam velut ebrios afficit: non tam hos, inquam, accuſandos putamus, quam illos exſecrandos, & coërcendos ſuppliciis, ſi qui ſint, quales nulla non aetas fertur tuliſſe, doctores & magiſtri perfidiae: ſi ſint de illa Laconis Archidami (*) ſchola homines, aut Platonici Thraſymachi, aut Etruſci denique magiſtri vel genuini pulli, (de quo iam non diſputamus) vel ſpurii: quorum niſi impiae voces corrupiſſent animos principum, aut conſilia illorum firmarent, plus valeret bonorum virorum auctoritas, ſanctam fidem rebus omnibus anteuertentium, & fruſtra clamantium, vtile nihil eſſe, quod non ſit idem honeſtum: noxias eſſe, quaecunque perfidia quaerantur, commoditates: quin perire, ſi res ita ferat, ſeruato federe, & animam impendere fidei, ſatius eſſe, generique humano vtilius, quam partis perfidia ſua tranquille & nemine extra turbante frui.

Ob-

(*) ap. Plutarch. Lacon. Apophth. p. 219, A.

Obſoleta videtur, AA., quibusdam hominibus talis oratio, & declamationi puerili ex ſemiputridis quibusdam commentariis depromtae, quam virili orationi, nter viros habendae, ſimilior. Verum in hoc ipſo triumphamus hodie, & laetitiis omnibus incedimus, quod ſententiam, diuinam illam per ſe, & dei inter homines vicariis ante omnes commendandam; ſed impiorum hominum ſtudiis ad cirratorum fere ſubſellia relegatam, quin hinc etiam, ſi quorundam conatus, ſi minus ſceleſti, inconſulti quidem certe, valent, & continuantur cuniculi, expellendam propediem: quod igitur hanc ſententiam, de fide federum etiam magnis cum periculis & incommodis ſeruanda, immortali exemplo Auguſtiſſimus Rex noſter firmauit, defendit, ſanxit; quod exemplum plus, vt ſperamus, apud eos qui nunc viuunt, & ad omnem poſteritatem valebit; quam impudentium quorundam impietatis doctorum voculae.

Salue Pater patriae noſtrae per te florentiſſimae; ſalue trium regnorum Pater, quae illo te caritatis ac pietatis nomine aeternum venerabuntur; ſalue Pater eius Reginae, quae honos & gloria ſaeculi huius, admiratio futurorum, patre ſuo priuata cum eſſet, & hereditatis bona parte exuta ab his, qui federis lege

tueri

tueri illam debebant, qui defensionem illam magna mercede susceperant, tua, GEORGI, Rex inclute, fide, constantia, sapientia, tuis opibus, tua virtute, manu tua, quam fortitudine non minus quam fide ac liberalitate praestantem experitur, tui sanctissimi capitis periculo, tui corporis obiectu, tui filii, quem tui simillimum similis gloriae impetus ad immortalitatem nominis rapit, tui igitur filii vulnere & discrimine praesentissimo, defensa, seruata, restituta est: quae illud paternae necessitudinis nomen de te usurpat lubentissime, & suis vsurpandum liberis posterisque commendabit.

Quis nostrum, AA., non cum sacro quodam horrore recordatur, quae nuper adeo rerum per Europam, Germaniam praesertim nostram, facies fuerit? Mortuus erat praeter spem & opinionem, celeri admodum fato atque tanto suis terribiliore, Imperator CAROLUS VI, qui quantum prouideri consilio ipsius potuit, cauerat, vt Austriacae domus opes nulla diuisione imminutae transmitterentur certa lege ad posteros, vt vnius in potestate cum essent, hinc propugnaculum praestarent aduersus Orientis tyrannos, hinc Borboniorum molitionibus, iugum Europae, intentantium, opponerentur.

Cui rei cum ipſam domum Borboniam vel maxime repugnaturam, facile praeuideri poſſet; eam, tanquam voracem aliquam feram, placare interim boli ſatis magni obiectu viſum eſt. Placuit pretium: auide correpta Lotharingia: Sed pro eo quod defendere teſtamentum Caroli, & ſanctum illud fedus pragmaticae ſanctionis conſeruare debebat, alia omnia inſtituit, & quaſi non ad tuendam Caroli filiam, ſed ad euertendam regnis patriis coniuratum eſſet, ita frigide primum illam, cum opis promiſſae mentionem faceret, retinet, differt, circa literarum quarundam apices ac titulos tricatur: mox perſona depoſita totis pene regni viribus ereptum illi venit, quod iisdem viribus tuendum ſeruandumque ſanctiſſime promiſerat.

Quod enim dictitabant, promiſſam ſanctionis pragmaticae tutelam intelligendam eſſe *ſaluo iure tertii*; quis ita hebes eſt, quin videat, tali exceptione nihil eſſe impudentius. Quid enim? Lotharingiamne daturus erat, genero & generi ereptam ſuo Carolus pro eiusmodi promiſſo, quod hac exceptione ſimpliciter omnem vim ſuam amitteret? Annon, qui ſanctionem pragmaticam praeſtandam ſuſcepere, illud ipſum eodem actu profeſſi ſunt, ſe non arbitrari, ius eſſe alicuius tertii? Nonne cuiuscunque demum illius

lius tertii excludendi cauſſa totum negotium contractum eſt? Acuta gens, ſi DIs placet, Galli, qui tam capitale inuentum excogitarint! Hebetes Germani homines, & conuicio Gallico digni, qui tam praeclaram cautionem non viderint! Immo vero boni viri & ſapientes, quibus ne in mentem quidem venire tam abſurda tam impudens cauillatio potius quam exceptio potuit.

Scilicet aeque ſubtiliter excogitatum eſt illud alterum, cum dicerent, copias illas, quibus inundabant partim, partim obſidebant Germaniam, nihil hoſtile minari Reginae, auxiliares tantum eſſe principis federe ſibi coniuncti. Verius dicat, ſi quis neutrius partis auxiliares dicat, vtriusque hoſtes, & Reginae, quam apertiſſimo crudeliſſimoque bello petebant, & eius Principis, qui non ita multo poſt, a praeclaris illis federatis ſe in fraudem inductum, variis modis proditum, ſuis fortunis excuſſum, ſuos autem ciues exhauſtros, ſuas vrbes vaſtatas, intelliget. Parum enim profecto videt, (de his loquor, qui extra partes velut conſtituti nullo affectu, perturbatione nulla impediuntur) parum ergo videt, qui hoc non intelligit, illud actum ab acuta ad fraudem, ab inhiante ſummae rerum gente, mutuis vt ſe bellis attererent Auſtriacae

hereditatis aemuli, ac facilem ſapientibus vicinis, & praeclaris federum cuſtodibus, opprimendorum vniuerſorum facultatem darent.

Hoc ſpectabant tanti apparatus: hic ſenſus erat armorum Gallicorum: ad quem diuinandum non hariolatione longa aut ſubtilibus coniecturis opus eſt, ſed attenta modo eorum, quae tum agebantur, conſideratione. Ad haec obtinenda, non vires modo adhibitae, exercitibus maximis in limite collocatis, iis praeſertim in locis, vbi terrore continendi erant, qui vel ſucceſſorem Carolo ſatis potentem, & minime obnoxium illi regno, eligere, vel ſubſidia mittere ipſius filiae vellent; omnia ita mature acta, adminiſtrata, peracta, quaſi praeuiſum eſſet fatum Caroli vigentis etiam, & longiorem vitam pollicentis: verum quidquid blanditiae gentis propriae, quidquid lingua politiſſima, quidquid homines ad placendum, perſuadendum, fallendum nati atque inſtituti, quidquid redemti pretio rumorum magnificorum geruli, breuiter dicam, quidquid artes Gallicae, quibus illam magnitudinem ab vno alteroque ſaeculo debet, valent aut efficere poſſunt, illud omne omnibus in aulis adhibitum, omnia ita inſtituta & comparata promiſſionibus, minis, perſuaſionibus, vt vel ſponte ſua quieſcerent, quibus

eius-

eiusdem federis tutela iniuncta erat, vel metu concitatorum in ſe vicinorum a cura rerum externarum auocati, ſatis haberent, ſi ipſi retinere ſalutem poſſent, de Regina adiuuanda curam vel abiicere cogerentur, vel certe differre.

Interim paſſim audiebantur legebanturque iactationes & gloriae de maieſtate & ſapientia Gallica, cuius prouidentia orbis reip. Germanicae, & Europae adeo, ſine ſanguine, ſine ſtrepitu, ſolo ſplendore & ventilatione armorum Gallicorum conuertendus eſſet. Nihil legi niſi Floridi nomen, & Bellinſulani, & Malliaboſii. Seneſcere videbatur virtus Britannica, Belgica fides muſſare, nihil virile audere, Germanica fortitudo ſepulta plane videbatur. Iam de diuidenda Auſtriorum hereditate, velut herciſcundae familiae iudicio in Gallico tribunali agi, iam aſſignare perfidus ſenex, & virtutis ſuae opinioni ſuperſtes, imperia, regna, regiones, his, qui comiter venerari maieſtatem Gallicam poſſent.

Regina inter haec inuicto plane animo & vere regio nihil indignum ſe admittere, a Deo omnia, a ſe bonum animum, a federatis fidelibus pecuniam, pecuniam & milites a ſuis ciuibns, Hungaris praeſertim eorumque vicinis, petere ac ſumere. Nouerat Regi-

 na,

na, quae hoc aetatis iam ſenilem ex hiſtoria prudentiam collegerat, caeleſti prouidentia iam aliquoties perditas prope res Auſtriorum reſtitutas, vt profani etiam homines & parum religioſi dicere ſolerent, peculiarem deum eſſe, cui res Auſtriorum cordi ſint, vt neque alienis conſiliis opibusque, neque ſuis erroribus, aut perfidiis adeo domeſticis peſſum ire poſſint. Nouerat, GEORGIVM II non inter titulos modo hereditatis iure ad ſe delatos vſurpare nomen Defenſoris fidei, ſed promiſſorum pactorumque fidem ſanctam putare, & pro illa defendenda nihil non audere ſuſcipere. Nouerat, Belgarum ciuitates etiam fide & federum religione ſeruanda hanc ipſam magnitudinem eſſe conſecutas, & ad hunc diem ſeruare.

Neque vero fefellit ſapientiſſimam, magnanimam, piam Reginam haec perſuaſio. Interceſſit, enim & oppoſuit ſe triumphanti, & gloriationibus ſuis caelum petenti perfidiae diuina iuſtitia, vindex ſuperbiae, federum ruptorum vltrix, & ad fidei deſertae, deriſae, conculcatae defenſionem quaſi e ſomno breui euigilauit.

Quo infideliores erant, qui praemium ingens pro tuendo Caroli teſtamento acceperant, atque impudentiores, eo plura excitauit ſubmiſitque Caroli filiae Deus

ad

ad repellendam contundendamque perfidiam subsidia: in quibus vniuersa Europa, & quaecunque erit rerum gestarum curiosa posteritas, cum summa beniuolentia & laeta admiratione nostrum celebrabit *Defensorem fidei:* & a GEORGIO inde secundo, ipsiusque anno imperii felicissimi sexto decimo, non iam pontificiae adulationis nomen, non mercedem stricti in Lutherum cum gladio calami Henrico VIII persolutam; sed titulum agnoscet fortissimo Regi debitum tributumque, quod solus, mussantibus ceteris, vel arte Gallica per domesticas factiones suscitatosue hostes externos impeditis, non sine summo auitarum imperii sui regionum periculo, bello alio iam sat damnoso implicitus, variis modis in diuersam partem solicitatus, fidem, fidem! reliquis rebus omnibus ante habuit, federatam reginam hinc vi pecuniae immensa adiuuit, hinc pactionibus interpositis a maiori liberauit periculo, tum magnis exercitibus & omni apparatu bellico trans mare traiectis, per ingentes terrarum tractus cum obuiam missis a Carolo Lotharingo, ad Scipionum, Caesarum, Eugeniorum gloriam magnis passibus grassante, cohortibus copias iunxit.

Ipse, ipse Rex Augustissimus, qui iam adolescens ea bellicae virtutis specimina dederat, vt minime metuen

tuendum eſſet, ne hanc regio, qui ipſum circumdat, choro defuiſſe aliquando dicat hiſtoria: hac aetate,hac rei militaris inolita nomini ipſius gloria, tamen ipſe non auſpicia modo, ſed ductum etiam exercitui e Britannia & Germania ſua collecto accommodauit, praeſens ipſe animauit ſuos, & bona ſpe rei bene gerendae, & pudore in oculis tanti arbitri ignauum quidquam in ſe admittendi, & aemulatione tanto placendi remuneratori virtutis, impleuit ſuos, ſuos autem mox fecerat, vt virtutis fama, ſic regia vere humanitate, comitate, liberalitate, omnes etiam non ſuos. *Bonorum* quidem qui vbique ſunt *virorum regem* iure GEORGIVM noſtrum vocaueris. Sola iam praeſentia tua, GEORGI II pater vt patriae ſic exercituum, immortaliter nobis care, plus in exercitu, quem ducis, efficiebat, quam decies mille fortiſſimorum militum ſupplementa. Adductus etiam eſt GVILIELMVS AVGVSTVS tuus, ſpirans illa virtutum regiarum, hoc eſt tuarum, imago, alterum quaſi pignus, vnde omnes intelligant, quantum pro fidei defenſione poſſis.

Sed non ſatis habuit, AA., repetamus enim memoria, quod liberis poſteriſque, quicunque erunt, noſtris admirandum praedicandumque commendabimus; non ſatis ergo habuit Auguſtiſſimus Rex noſter adeſſe,

adeſſe, praeſens ipſe imperio regere exercitum, fidei ſub ipſius auſpiciis defenſorem, vltorem perfidiae. Militis etiam non detrectauit munia.

Viderunt in Dettingenſi praelio, aſtute ſatis, & pro ingenio, quo valent hoſtes fidei, inſtituto, GEORGIVM noſtrum Britanni ſui, viderunt ſui Saxones, Hungari & Auſtrii viderunt, periculoſiſſimis in locis animo praeſenti ac tranquillo verſantem, & quid facto opus eſſet imperantem, cum tanta circa illum vis ferreorum globorum horribili & mortifero cum ſtridore volaret & caderet, vt ſacrum & auguſtiſſimum caput, cui parcere alias etiam hoſtes per bellicae humanitatis rationem ſolent, nouo barbariei ac perfidiae genere, ſtudio ac dedita opera peti videretur. Viderunt filium Regis, quem ardens iuuenili in ſanguine virtus raperet in ipſa pericula, cum femur glande plumbea traiectum haberet, non niſi tarde praelio excedere, nec prius alligandum vulnus praebere medicis, quam captiuo hoſti, quem grauius quam ſe vulneratum, magis indigum opis putabat, proſpectum eſſet. Viderunt patrem auguſtiſſimum, cum interroganti dictum eſſet, oſſa videri integra, paucis verbis macte virtute & bono animo eſſe iubere filium, & imperatoris ad officium ſtatim redire.

O dignum te tanto patre, Sereniſſime dux Cumberlandiae! felicem te hoc filio, tuae virtutis aemulo, GEORGI Rex Auguſtiſſime! Te, regie iuuenis, adhuc vnus quisque greſſus virtutis in Dettingenſi praelio demonſtratae & probatae admonuit, & aliquam diu admonebit. Tuum, fortunate pater, quoties talem tantumque filium intuebere, pectus pertentabit tacitum illud quidem, ſed non ideo minus dulce gaudium.

Salue pater, ſalue rex bonorum virorum, ſalue fidei defenſor, religioſiſſime, fortiſſime, feliciſſime, & quod tam laetis auſpiciis tam diuinis coepiſti facere, vt liberata Europa a ſummo ſeruitutis, ad quam per extrema malorum aditus parabatur, periculo, fidem & foederum religionem commendes & huic ſaeculo, & quaecunque poſt futura ſunt, illud fauente porro caeleſti prouidentia feliciter perfice.

Patiamini, quaeſo, A A., vt apud vos profitear; quod mihi crediturum ſpero, vt quisque vel eſt vir optimus, vel me paullo propius nouit, quod non commemorarem, niſi inter vos quoque ſperarem eſſe plures eadem mente praeditos; quam mentem, ſi poſſem pluribus etiam inſpirarem, & vtinam vel ad hoc ſolum, hac ſola hora mihi ſuppetat eloquentia, vt inſpirare poſſim omnibus. Hoc ergo profiteor apud vos, &

ſub

ſub religioſiſſimi iurisiurandi fide confirmo, me dele ctari quidem vehementer, vti nunc ſe res habet, liberatam eſſe patriam noſtram ab inſolentiſſimis hoſtibus, quorum vel iactationes & ſuperbias audire & legere mortis inſtar eſt; ſaluum, gloria immortali auctum eſſe, Auguſtiſſimum cum Celſiſſimo filio ſuo Regem noſtrum, honeſtiſſimae pacis ex iuſtiſſimo bello ſpem imminere: his, inquam, rebus vehementer commoueor, gratulorque ex animo ſuam optimo regum gloriam, ſuam fortiſſimo principi cicatricem, quam multis aureorum millibus ſibi emturi quidam, ſi poſſent, videntur; gratulor otii & dignitatis ſpem bonam Germaniae, huic praeſertim patriae noſtrae, & in his omnibus a boni ciuis officio nunquam recedam.

Sed hoc, AA., hoc maxime gaudeo, hoc laetor vnice, hoc praeſertim nomine immortales Iouae Imperatori gratias decerno, quod egregium ad omnem conſequentis temporis perpetuitatem monumentum exſtare voluit defenſae ſuo numine fidei, perfidiae autem iam triumphantis, iam paeana canentis, confuſae atque reiectae; immiſcentisque ſe rebus humanis, easque ſapientiſſimo arbitrio gubernantis, prouidentiae adeo clarum dedit ſpecimen, vt qui illam videre ſe neget, ille non luſcitioſum, ſed caecum, non hebetem, ſed plane furioſum ſe profiteatur.

 Per-

Perge quaeſo, Pater, tueri tuam inter homines maieſtatem, & ita faue ſeruatori noſtro, ac fidei defenſori GEORGIO, tuo inſtinctu excitato, tuo ſpiritu animato, tuam cauſam, tuum opus agenti, tuam gloriam amplificanti, vti exemplum hoc habeant poſteri memorabile, ingens, non infitiandum, nihil valere aſtum, dolos, perfidiam, opes omnes, contra tuam ſapientiam ac potentiam, quoties tibi videatur ſuperbiam deprimere, tueri innocentiam, fidem defendere.

Diſcant, quaeſumus, Pater, progreſſu huius belli & exitu, rerum humanarum ſub te arbitri, fidem ſeruare, non temerare religionem federum, diſcant, tuo ſe imperio, tuae manui obnoxios, ſubito deprimi, deturbari a faſtigio ſe ſuo poſſe, vbi primum tu punire illorum vel ſuperbiam vel perfidiam decreueris.

Da GEORGIO noſtro animum tua virtute inuictum, robur corporis animi magni conatibus reſpondens, conſilia ſalutaria, exercitus fideles, domum florentem, regna pacata, & quaecunque magni & digni immortalitate principis vota ſunt.

Nobis da, Domine, te agnoſcere, tua virtute ſapientibus eſſe ac beatis, te dum hac in ſtatione ſumus, te per omnem aeternitatem celebrare.

Saluum fac, Domine, regem noſtrum & domum regiam, fortuna conſilium regium, ſerua hanc cum Academia ciuitatem.

* * *

Subiungere hic placuit potiorem partem programmatis, quo ad orationem hanc audiendam ciues nostros inuitabamus:

Sic iniustitiam & perfidiam tandem laudare sustinuerunt quidam tyrannico ingenio homines, non quo non aliter edocti essent, aliter bene subductis rationibus sentirent: sed ne ipsos damnarent virorum sapientium sententiae, sententias illis contrarias opposuere. Ferri etiam hoc poterat, etsi est intolerabile. At illud importunitatem fere omnem superat, quod inuenti sunt parasiti quidam tyrannorum, qui quod illi agerent, quod se agere omni modo dissimularent, aperte auderent defendere, eaque ipsa ratione pudorem quoque, si quis illis restaret, excutere. Antiqua est illa labes & turpitudo hominum doctrina & philosophia male abutentium: quod vel illius apud Platonem * Thrasymachi exemplo constat, qui aperte *iustum* finit, *quod potentiori vtile sit:* & tuetur, *iniusti hominis vitam praestare vitae iusti, iustitiam esse generosam stupiditatem, iniustitiam autem rem consilii plenam; prudentes & bonos viros illos, qui quod summum est in iniustitia assecuti, possint ciuitates, & gentes integras in potestatem redigere.* Non putamus facturum fuisse Platonem, vt tales personas induceret in dialogos suos, eosque confutandos Socrati traderet, nisi fuissent inter sophistas illius aetatis, qui ad istum modum in scholis, & circulis iuuenum, disputarent. Plura non addimus, neque enim historiam improbae illius stultitiae scribimus. ** Stultitiae, inquam. Vafri enim principes non ignorant, exosam esse naturaliter hominibus iniustitiam perfidiamque, ac proinde hoc ipso nomine noxiam,

* De Rep. I p. 418, C. *τὸ δίκαιόν ἐςι τὸ τοῦ κρείτ]ονος συμφέρον.* Mox, *τὸν τοῦ ἀδίκȣ βίον κρείτ]ω, ἢ τὸν τοῦ δικαίȣ.* Et E, *δικαιοσύνην πάνυ γενναίαν εὐήθειαν, τὴν ἀδικίαν εὐβȣλίαν.* Et F, *φρόνιμοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ ἀγαθοὶ οἱ ἄδικοι, οἵγε τελέως οἷοί τε ἀδικεῖν, πόλεις τε καὶ ἔθνη δυνάμενοι ἀνθρώπων ὑφ' ἑαυτοὺς ποιεῖσθαι.*

** Aurem hic sibi velli patietur Herm. Sam. Reimarus, vir doctissimus, de promisso olim *Machiauellismo ante Machiauellum.*

xiam, prudenter igitur, & quanta maxima opera poteſt, diſſimulandam: cum virtutis, iuſtitiae, fidei, ipſa quoque ſpecies proſit vel ad hoc ipſum, vt falli facilius & circumueniri homines queant. Quod autem fuere, qui dicerent, ſpeciem iuſtitiae ac fidei prodeſſe, rem ipſam nocere, optabile igitur eſſe, vt videantur boni viri principes; vt ſint, nihil opus, quin alienum eſſe & noxium: illi ſapientia ſua etiam ſpeciem, quam ita laudant, iuſtitiae ſibi ademere. Quis enim iuſtum, bonum, fidelem exiſtimabit eum, quem ita putet animum induxiſſe? Quae cum ita ſint, nondum, credo, ad illam comicorum lenonum impuritatem impudentiamque proceſſit aliquis magnorum principum, vt publice, non inter nequitiae ſodales, ſed edicto, vt hoc vtar, propoſito, ſe iniuſtum, perfidum, fedifragum profiteretur. Nam ſi qui etiam tales ſint, tamen, vt illi apud Ciceronem * Philoſophi, *ea dicunt, quae non ſentiunt, vtque veſtitum, ſic ſententiam habent aliam domeſticam, aliam forenſem.* Quare qui ſapiunt principes, ſiue iuſti ipſi ſint & fidei cultores, ſiue aliter animati, impietatis illos & immanitatis doctores, modo ſint tales vsquam, odiſſe debent & amoliri, ne videantur illorum praeceptis obſequi, eoque ipſo fidem ſibi detrahant, eleuent promiſſorum ſuorum auctoritatem. Si quid enim profuit ad fines proferendos, aut augendum alia ratione imperium, perfidia; profuit cum lateret, & quamcunque iuſtitiae ſpeciem indueret; exſecrabilis eſt, & vim ſuam, quae in fallendo & circumueniendo ineſt, amittit, ac ſolis armorum viribus ſuſtinetur, cum primum tegi, pingi, diſſimulari deſinit. Neque enim profecto tam patientes videntur eſſe homines, reges in primis, principes, & populorum ſuorum rectores, vt profeſſae nimis perfidiae vel hominem, vel imperium, ad federa & pactiones admittant; vt non conſociatis opibus tanquam ad incendium omnibus imminens reſtinguendum, aut ad noxiam omnibus beſtiam conficiendam, concurrant. Quidquid eſt de *bello* illo, quod *punitiuum* vocant iuris naturae & gentium docto-

* De Fin. 2, 24.

doctores: sanctum profecto & pium illud bellum fuerit, quo ad conatus perfidi impudenter & extra omnem excusationem vel regis vel populi opprimendos, aut frangendas opes, concurrant omnes, non modo periculo proximi, sed etiam ad quos paullo post impotentem ille dominationem possit extendere. Aut egregie fallimur, aut intelligit hodie Europa, esse regnum quoddam, cuius in operosa licet dissimulatione, & magna praedicatione fidei ac iustitiae, non procul ab illo, quem modo diximus gradu absit iniustitia ac perfidia: intelligit, premendam esse, quae hodie offertur occasionem, redigendi ad mediocres & iustos terminos gentem, quam federa adhuc nulla coërcere potuerunt. Magna sane res, salutaris, speramus, non ad hoc modo futura, vt paratam sibi seruitutem, intentatas catenas, bella certe ex bellis seminata, hic orbis noster effugiat: sed in vniuersum vti iustitiam & fidem maioris facere in posterum magni quidam mortales discant. Haec tanta res, attentione vestra etiam, CIVES, dignissima, argumentum nobis erit, oratione solemni natalem sextum huius Academiae ab inauguratione illius celebraturis. Quam disertam vobis orationem spondemus, si non male Fabius **, *Nec quidquam non diserte quod honeste dicitur.* Conuenite igitur, CIVES CARISSIMI

a. d. XVII. Septembris hora ipsa decima

in Collegii nostri aedes, & pompam inde nobiscum in Paulinam aedem deducite, sacrum vestra amabili modestia ornate, tum Ambrosiano hymno religiose canendo gratias Conseruatori Deo nobiscum agite, quod praeter caetera beneficia hoc anno collata in hanc sapientiae & virtutis (sic quidem iussit noster Conditor, sic nos connitimur) officinam atque armamentarium, incolumem summa inter pericula, cum digno tanto patre filio, (ampliusne aliquid ad laudem Celsissimi principis dici potest?) praestitit, successu, victoria, gloria cumulauit, suae inter nos maiestatis vicarium, FIDEIque impie ab aliis oppugnatae DEFENSOREM magnanimum, qui inter tantos titulos

* Quinctil. 12, 1, 30.

tulos RECTOREM ſe noſtrum MAGNIFICENTISSIMVM appellari non dedignatur: ſupplicate nobiſcum Iouae Imperatori, vt faueat porro GEORGIO II., *Orbi quietem, ſaeculo pacem ſuo* * pariter & futuris, cum auguſtiſſimi capitis ſui periculo praeſtanti: ſupplicate, vt haec Academia deſtinatis ſapientiſſimi principis reſpondeat, vt inde prodeant boni viri, qui doctrinam, virtutem, fidem praeſertim & iuſtitiam, tum ſtudioſe colant ipſi, tum ſuis quique ciuibus feliciter impertiant. P. P. a. d. XV. Sept. CIƆIƆCCXXXXIII.

* Seneca Octau: v. 475.



